



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Reiffenstuel, Anaklet

Monachii, 1699

Distinctio Octava. De Ministro Sacramenti Pœnitentiæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40206

DISTINCTIO VIII.

De Ministro Sacramenti Pœnitentiæ.

QUÆSTIO I.

Quis sit Minister Sacramenti Pœnitentiæ, & quomodo indigeat Jurisdictione?

1. **C**ONCL. I. Solus Sacerdos est legitimus Sacramenti Pœnitentiæ Minister. Ita omnes Catholici; estque definitum in pluribus Concilijs, atque novissimè in Trid. Sess. 14. cap. 6. & can. 10. Idque patet ex illo Joan. 20. ubi Christus solis Apostolis, jam antea in ultima Cœna in Sacerdotes ordinatis, postquam à mortuis resurrexerat, dixit: *Accipite Spiritum sanctum, quorum remisistis peccata, remittuntur eis.*

Solus Sacerdos est Minister Sacramenti Pœnitentiæ.

2. **C**ONCL. II. Quamvis solus Sacerdos sit legitimus Sacramenti Pœnitentiæ minister, non tamen quicumque Sacerdos est talis, sed solum ille, qui præter potestatem Ordinis habet etiam potestatem Jurisdictionis; id est, legitimam Jurisdictionem, vel ordinariam, vel saltem delegatam. Ita omnes Catholici; ac patet tum ex perpetua traditione ac sensu Ecclesiæ, tum ex citato Concilio Trid. cap. 7. ubi ait: *Persuasum semper in Ecclesia DEI fuit, & verissimum esse Synodus hæc confirmat, nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut subdelegatam non habet jurisdictionem.* Accedit ratio: quia absolutio est actus judicialis; ergo ex parte Sacerdotis requirit jurisdictionem in subditos: nam sententia à non suo Judice lata, nulla est.

Is debet habere legitimam Jurisdictionem.

3. **C**ONCL. III Sacerdotibus in sua Ordinatione solum confertur potestas Ordinis, nondum verò potestas Jurisdictionis. Ita ex professo Herincx disp. 5. de Pœnit. num 11. cum communi. Ratio est: quia, licet Sacerdos in sua Ordinatione accipiat potestatem remittendi peccata (quæ dicitur *potestas Ordinis*) nondum tamen acquirit aliquos subditos, neque Jurisdictionem ad ipsos sacramentaliter absolvendos. Cæterum, ut hæc, simulque præcedens Conclusio, melius intelligatur,

Sacerdos in sua Ordinatione accipit potestatem Ordinis, non Jurisdictionis.

4. **N**otandum I. Quod Sacerdos in sua Ordinatione duplicem accipiat potestatem, unam in Corpus Christi verum; id est,

Accipit tunc potestatem in Corpus

Nannnn 2

est,

Christi ve-
rum, & my-
sticum, &c.

et, potestatem consecrandi, & conficiendi verum Corpus & Sanguinem Christi in Tremendo Missæ Sacrificio. alteram in Corpus Christi mysticum, id est, potestatem absolvendi fideles poenitentes, qui sunt de Corpore Christi mystico, quod est Ecclesia, cuius ipse caput est; juxta illud Coloss. 1. *Et ipse (Christus) caput est corporis Ecclesie. Et infra §. 24. Pro corpore ejus (Christi) quod est Ecclesia.*

Differentia
inter pote-
statem con-
secrandi, &
absolvendi.

5. Notandum II. Quòd inter hanc duplicem potestatem multiplex intercedat discrimen. Siquidem potestas consecrandi est proxima, & omninò impedibilis, quæ proinde à Sacerdote semel ritè ordinato amplius auferri, aut per Ecclesiam impediri non potest: unde licet Sacerdos sit suspensus, excommunicatus, imò etiam degradatus, si consecrare præsumat, validè, etsi illicitè consecrabit. Econtrà verò potestas absolvendi, in Ordinatione Sacerdoti collata, est impedibilis, ac remota solum; remota quidem, eò quòd insuper ad validam ejus executionem requiratur jurisdictio legitima: impedibilis verò, per subtractionem cujuslibet jurisdictionis, qua subtractâ, vel saltem non collatâ per Prælatos Ecclesiæ, si Sacerdos attentaret absolvere, non solum illicitè, sed & invalidè absolveret.

Potestas ab-
solvendi de-
claratur au-
tò ex eplo.

6. Declarari solet istud per simile in Doctore Juris, qui licet in sui creatione, qua Doctor Juris declaratur, accipiat potestatem, ut ubique locorum possit Judicium exercere respectu sibi subditorum; non tamen mox à sui gradatione potest in quolibet Judicium exercere, sed postea primùm, quando alicubi vel ex officio, vel ex delegatione Superioris, quosdam acquirit subditos, respectu quorum deinceps Judicium exercere valebit. Ita in simili (servatâ tamen proportione) de Sacerdote jam ordinato quoad potestatem exercendi Judicium Sacramentale in Sacramento Poenitentiae, & absolvendi peccatores confitentes, est discurrendum. Fagnanus. *in cap. Omnis, num. 84. de Poenit. & remiss.* sub alijs terminis tradit hanc doctrinam, dicendo, quòd Presbyteris in sua Ordinatione detur potestas Clavium in habitu tantùm, non autem in actu, seu quantum ad usum: in institutione verò, seu collatione Beneficij curati, tribuatur executio illius potestatis.

Hæc præ-
supponit
potestatem
consecran-
di.

7. Est & alia differentia inter potestatem consecrandi, & potestatem absolvendi Sacerdotibus concessam: siquidem hæc posterior necessariò præsupponit illam priorem. Unde Christus Dominus, qui Apostolis in ultima Cœna dedit potestatem con-

consecrandi Corpus & Sanguinem suum, eisdem primùm post suam Gloriosam Resurrectionem contulit potestatem absolvendi, Joan. 20. dicens: *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Hinc etiam per Episcopum in Ordinatione sacerdotum, conferri eisdem solet potestas consecrandi circa Offertorium Missæ, videlicet ante lectum Evangelium; potestas verò absolvendi primùm peractâ Communione. Hujus autem ratio alia non est, nisi voluntas ac institutio Christi Domini, qui voluit, neminem posse conscientias nostras in Sacramento Pœnitentiæ judicare, qui non posset prius suum Sacratissimum Corpus & Sanguinem conficere; ut eò libentiùs conscientias nostras tali subiceremus, cui ipsemet Christus sese subjecit consecrandum, & manibus tractandum.

8. Notandum III. Quòd *Jurisdictio*, quantum ad propositum, aliud non sit, quàm auctoritas quædam superioritatis supra alios in Foro conscientie judicandos. Porrò hujusmodi *Jurisdictio* (quæ & *Potestas Jurisdictionis* dicitur) duplex est, ordinaria scilicet, & delegata.

Jurisdictio
five *Potestas*
Jurisdictio-
nis, quid?

9. *Jurisdictio ordinaria* ea est, quæ alicui competit ex proprio officio, seu munere suo: id est, quæ alicuius proprii officij (ut pote cui annexa est cura animarum) habet subditos, quos in Foro conscientie judicare potest. Et talem habet Parochus in sua Parochia, Episcopus respectu Diœcesanorum, Abbas respectu suorum Monachorum, Generalis cujusdam Ordinis respectu totius Ordinis, & Papa respectu totius Orbis.

Jurisdictio
ordinaria.

10. *Jurisdictio delegata* est, quæ habetur ex commissione alterius habentis ordinariam: id est, quam quis absque collatione alicujus Beneficij curam animarum habentis, accipit ab habente jurisdictionem ordinariam. Et talem habent Religiosi nullum habentes Beneficium curatum, sed tamen legitime approbati pro Confessionibus excipiendis respectu Sæcularium, & alij hujusmodi. Et ex his patet sensus secundæ, & tertiæ Conclusionis.

Et delegata,
quæ?

11. CONCL. IV. Sacerdotibus in sua Ordinatione conferatur sufficiens jurisdictione absolvendi quemlibet à solis peccatis venialibus. Ita communior Theologorum. Ratio est: quia peccata venialia sunt materia libera Confessionis; ergo frustra reservarentur, & consequenter omnis Sacerdos poterit ab ipsis absolvere.

An quilibet
Sacerdos
possit absol-
vere à ven-
ialibus?

Cautela
circa hoc.

12. Notandum tamen, quod extra casum necessitatis non facile Sacerdos necdum expositus debeat se immiscere audientibus Confessionibus venialium; idque ob plurima incommoda, quæ inde facile possent oriri. Et hinc non immerito Innocentius XI. in Decreto, circa Communionem quotidianam, edito 12. Februarij, 1679. (a) monet Episcopos & Parochos, quod non permittant, ut venialium Confessio fiat simplici Sacerdoti, non approbato ab Episcopo, aut Ordinario.

(a) De hoc
vide Tract.
10. Dist. 3.
n. 50 & 55.

In mortis
articulo b.
solvit quili-
bet Sacer-
dos.

13. CONCL. V. In mortis articulo potest quilibet Sacerdos, etiam non approbatus, imò & excommunicatus, degradatus, hæreticus; absolvere ab omnibus Censuris, & peccatis. Ita expressè Concilium Trid. Sess. 14. cap. 7. ubi ait; *Verumtamen pie admodum, ne aliquis pereat, in Ecclesia DEI custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis: atque ideo omnes Sacerdotes, quoslibet penitentes à quibusvis peccatis, & censuris absolvere possunt.* Ex quibus verbis tam amplis docet unanimis Doctorum, quod simplex etiam Sacerdos, quamvis sit degradatus, excommunicatus, irregularis, vel apostata, possit absolvere, si non adsit Confessarius approbatus, proprius Parochus, aut Episcopus. Num autem hoc præserte possit absolvere simplex Sacerdos, jam alibi (b) dictum fuit.

(b) Tract.
4. Dist. 4.
n. 33.

Ad Min. str.
Sacramenti
Pœnitentiæ
requiritur
legitima ap-
probatio.

14. CONCL. VI. Ut minister Sacramenti Pœnitentiæ, sive Confessarius, illud validè administret, necessariò requiritur etiam legitima approbatio ipsius. Ita communis. Hinc vitandæ sequentes duæ Propositiones, ab Alexandro VII. damnatæ, quarum una, ordine 16. sic habet: *Qui Beneficium curatum habent, possunt sibi eligere in Confessarium simplicem Sacerdotem non approbatum ab Ordinario.* Altera, ordine 13. taliter sonat: *Satisfacit præcepto annuæ Confessionis, qui confitetur Regulari Episcopo presentato, sed ab eo injustè reprobato.* Et meritò utraque Proposito damnata fuit: nam exclusâ approbatione Episcopi, neque simplex ille Sacerdos ab eodem recipit jurisdictionem delegatam absolvendi (ordinariam enim eo ipso non habet, quod careat Beneficio curato) neque hanc accipiunt Regulares à summo Pontifice.

Regulares
exempti à
quò accipi-
ant juris-
dictionem.

15. Et notanter hoc ultimum additur: nam Regulares exempti jurisdictionem absolvendi seculares non accipiunt ab Episcopo approbante, sed suppositâ approbatione Episcopi loci, & accedente consensu proprii Superioris Regularis, ea statim intelligitur ipsis concessa à Sede Apostolica; prout desumitur ex *Clem. Dudum, §. Statuimus, de Sepulturis*, atque à Sac. Congregatione

ne Concilij declaratum fuisse, refert Fagnanus in c. Omnis. n. 79. de Penit. & remiss. Accedit ratio, quam affert Layman lib. 5 tract. 6. cap. 10. n. 19. quia Episcopus loci tam amplam jurisdictionem audiendi Confessiones omnium Fidelium undecunque venientium, eosque à Censuris etiam Papæ reservatis (extra casus Bullæ Coenæ Domini) absolvendi, dare non potest: sed eam Confessarij Ordinum Mendicantium immediate recipiunt à Summo Pontifice, cum dependentia tamen à consensu sui Prælati, & approbatione Episcopi.

Q U Æ S T I O II.

De Probate, Scientia, & Prudentia Confessarij.

16. **P**ostquam de ijs dictum est, quæ requiruntur ad Ministerium Sacramenti Pœnitentiæ, ut valide illud administraret: merito præsens Quæstio unâ cum sequentibus tractat de his, quæ requiruntur ad dignam, legitimam, licitam, & meritoriam dicti Sacramenti administrationem ex parte Ministri. Hinc sic

17. **CONCL. I.** Ut Confessarius ritè, ac licitè, meritoricque suo munere fungatur, ex parte ipsius requiruntur tria, videlicet Probitas vitæ, Scientia conveniens, & Prudentia. Ita communis Ratio est. Tum quia is sine probitate vitæ, sive existens in peccato mortali, peccaret mortaliter administrando Sacramentum Pœnitentiæ. Tum quia, ut dicitur c. Omnis utriusque sexus, de Pœnit. & remiss. Confessarius debet se habere more periti Medici, ut superinfundat vinum & oleum vulneribus sauciati: ad hoc autem opus est scientiâ, & prudentiâ, ut patet; ergo.

18. Hæc generalia requisita ex parte Confessarij paucis complectuntur Doctores, dum aiunt, quod Confessarius debeat esse & Iudex, & Medicus, & Doctor. *Judex* quidem, discutiendo pœnitentem, atque de ejusdem peccatis judicando, ac pro ipsis salutarem pœnitentiam & satisfactionem imponendo, sin ulque vel imperitendo absolutionem, vel (si merita causæ id exposcant) hanc negando. *Medicus*, qui juxta cit. c. Omnis utriusque sexus eod. noverit superinfundere vinum & oleum vulneribus sauciati. Et *Doctor*, ob debitam scientiam, prudentiâque ex parte ipsius requisitam; prout amplius in progressu dicetur. Nunc singula in Conclusionè enumerata prosequendo per ordinem,

19. Quæ

Probitas,
quæ in ipso
requiritur?

19. Quæritur I. Quænam probitas requiratur ex parte Confessarij? Resp. I. Ad hoc, ut Sacerdos licitè, & absque peccato mortali, administret Sacramentum Pœnitentiæ, requiritur, ut non sit sibi conscius peccati mortalis. Quod si eum remordeat conscientia peccati gravioris, tenetur prius per receptionem Sacramenti Pœnitentiæ, vel saltem præmissâ Conteritione perfectâ (c) sese restituere in statum gratiæ: alioquin peccaret novo peccato mortali Sacrilegij. Valebit tamen absolutio data à Sacerdote in statu peccati mortalis existente, si cætera requisita adsint; ac proinde validè quidem, sed non licitè Sacramentum administretur.

(c) De hoc
Tract. 14.
Dist. 1. n.
43. 44. &
47.

Quomodo
Peccet ad-
ministrans
hoc Sacra-
mentum in
mortali?

20. Quæritur II. Quot peccata numero distincta committat Sacerdos, qui plurium Confessiones pro eadem vice, successivè tamen, in statu peccati mortalis excipit? Resp. De hoc jam esse dictum superius *Tract. 14. Dist. 1. n. 49. & 53.* Ibi videatur.

Scientia in
Confessario,
qualis re-
quiritur?

21. Quæritur III. Quæ, & quanta requiratur Scientia in Confessario? Resp. I. In Confessario requiritur Scientia competens, id est, saltem mediocris. Ita communis. Ratio est: quia, cum in hoc Sacramento Confessarius exerceat officium Judicis & Medici, scire debet, quid sit sui muneris, ne & se & suos pœnitentes periculo exponat errandi in materia gravi, & salutem animarum concernente. Siquidem, ut inquit Salvator, *Matth. 15. Cæcus, si cæco ducatim præstet, ambo in foveam cadunt.*

Scientia e-
minens, &

22. Additur notanter, *Scientia competens, id est, saltem mediocris.* Dux enim sunt species Scientiæ. Prima dicitur *Scientia eminens*, qua quis optimè sit versatus in Jure Canonico, in Theologia Morali, atque Casistarum lectione, & qua sciat ratiocinari, casusque difficiles Conscientiæ resolvere. Hæc Scientia, quamvis sit utilissima, omnique studio profequenda, nihilominus absolute necessaria non est: alioquin pauci reperirentur Confessarij. Secunda vocatur *Scientia mediocris*, quæ tamen commodè determinari nequit, sed debet dijudicari ex ratione diversitatis tum locorum, tum personarum: major enim requiritur scientia pro Confessionibus in Urbe aliqua inter Magnates & Mercatores excipiendis, quam in pagis inter simplicem populum.

Scientia
mediocris,
quæ?

Quid, si Sa-
cerdos sit
dubius de
sua suffici-
entia?

23. Resp. II. Si Sacerdos sit dubius de sua sufficientia, debet se conformare judicio Episcopi approbantis, vel sui Prælati, aut alicujus docti Theologi, & si per ipsos capax, & sufficiens reper-

reperitus fuerit, suum dubium in illorum iudicium rejicere, & securè Confessiones excipere. Ita D. Thomas 2. 2. q. 104. art. 5. Suarez, Toletus, & alij. Intellige, dummodò is successivè perlectionem librorum competentium magis conetur in hujusmodi scientia ad Confessarium requisita proficere. & in calibus obscurioribus ac difficilioribus non erubescat doctiores consulere: quod præsertim à principio erit observandum, quando quis incipit Confessiones excipere.

24. Resp. III. Interim certum est, quòd Confessarius debeat esse præditus tantâ Scientiâ, ut sciat, quænam sint peccata ex genere suo mortalia, & quænam venialia; quænam sint circumstantiæ speciem peccati mutant, & quæ non: tenetur enim inter hæc, veluti inter lepram & lepram, ceu spiritualis Medicus, posse discernere. Insuper tenetur scire regulas communes, quibus quis excusari possit à præcepto, vel à peccato mortali: nec non ea, quæ requiruntur ad legitimam Sacramentorum administrationem, ac in specie ad Sacramentum Pœnitentiæ, & hujusmodi, de quibus idcirco passim Theologi Morales tractare consueverunt.

25. Resp. IV. Cum Suarez part. 3. tom. 4. disp. 28. sect. 2. n. 2. Lugone, Marchantio, aliisque. Quamvis teneatur Confessarius scire, quidnam ex natura sua sit peccatum mortale, & quidnam veniale, ut dictum: non tamen requiritur, quòd de omnibus, quæ audit à pœnitente judicet, an sint hic & nunc peccata mortalia, vel venialia. Quis enim hoc etiam ex viris doctissimis, absque manifesto periculo errandi, facere poterit? Idque tum ob diversitatem opinionum inter Doctores: tum quia casus ipsi in individuo valdè alterantur quoad majus, ac minus, ex materia, indeliberatione, passione, multisque alijs circumstantijs, ratione quarum quandoque peccatum ex genere mortale fit veniale, ac econtrâ. (e) Sufficit itaque, ut Confessarius attentè audiat confitentem, & qualitatem gravitatemque malitiæ prudenter expendat, licet ad gravitatem peccati mortalis certò illam determinare non possit.

26. Notandum tamen, si Confessarius determinatum ferat iudicium. & quandoque peccatum mortale reputet veniale, aut econtrâ non idcirco Confessionem, & absolutionem pœnitentis reddi invalidam: nam, ut rectè quidam loquuntur, Sacerdos non debet judicare pœnitentem scientiâ Divinâ, sed auctoritate Divinâ absolvere. Unde, si Confessarius audiat peccatum, quod discer-

Generatim
qua Scientiâ
debeat pol-
lere Confes-
sarius?

An is teneatur
judicare
de gravitate
peccatorum
in indivi-
duo?

(e) Ut di-
ctum Tr. 3.
Quest. 2.
per totum.

Quid, si is
erit in ju-
dicando?

Doctrina
practica.

Ooooo

nere

nere nequit, utrum hinc & nunc sit mortale vel veniale, illud tale quale est absolvat, suspendens iudicium pro natura ipsius; quandoquidem in genere bene sciat, an sit mortale, vel veniale: etenim quid quid agat, non semper poterit concepta dubia (doloribus præsertim ob particulares circumstantias frequentius occurrentia) super peccatis, & eorum gravitate deponere; neque oportet per exactissimas interrogaciones hoc Sacramentum pœnitentibus nimis grave & onerosum reddere. (f)

(f) Ut amplius n. 34. & seqq. dicetur.

Prudentia Confessario necessaria,

27. Quæritur IV. Circa quæ generatim Prudentia Confessarij debeat esse sollicita? Resp. I. Licet Prudentiæ virtus ad omnes Sacerdotum functiones ritè obeundas summè necessaria sit, meritò tamen præ omnibus alijs ea requiritur ad Confessiones audiendas: ut Confessarius, & quatenus Medicus est, probe noverit superinfundere oleum, & vinum vulneribus sauciati; & quatenus Doctor est, cautè errantes viam veritatis edoceat.

Ea generatim debet exerceri circa propriam Confessarij personam,

28. Resp. II. Generatim Prudentia Confessarij est exercenda partim circa propriam personam, partim circa pœnitentes, & partim circa alias personas. Et quidem circa propriam personam, vigilare oportet Prudentiam Confessarij tum in procuranda, atque conservanda puritate conscientiæ; tum in devota invocatione gratiæ Spiritûs sancti, ad hoc Divinum Ministerium ritè peragendum; tum in ardenti zelo, siye desiderio procurandi salutem animarum, Dei que gloriam adaugendi, & ampliandi. Accedit assecuratio corporalis, ne videlicet, quantum fieri poterit, Confessarius incurrat periculum corporis, seu contrahendæ infirmitatis, præsertim excipiendo Confessiones laborantium morbis contagiosis. Huc revocantur nonnulla alia, quæ Confessario quoad propriam personam, etiam in exterioribus gestibus ritè ordinandam, necessaria, & prudenter attendenda erunt.

Circa personas astantes.

29. Deinde quoad alias personas astantes, plura observanda suggerit Prudentia. Primum est, uniformitas in modo procedendi. Alterum, ne nimis clarè loquendo, faciat nonnunquam circumstantes audire peccata confitentis contra eorum voluntatem: aut ne gestibus, alijsve signis, faciat astantes devenire in noticiam cuiuspiam peccati gravioris confessi. Et hoc tum ratione sigilli Confessionis, ne illud quoquo modo, etiam indirectè, violetur: tum ratione scandali, & ne circumstantes meritò absterreantur, & (quod pronissimum est) aversionem concipiant

pian à tali Confessario. Alia similia suggeret ipsamet Prudentia.

30. Potissimum autem circa pœnitentes ipsos Prudentia Confessarij exercenda est, eos partim cautè examinando, si opus fuerit ; partim charitativè instruendo, dubiâque ipsorum solide resolvendo, & dando opportuna consilia ; partim eos discretè corrigendo, atque salubria subministrando media, quibus ad veram detestationem peccatorum inducantur, atque ab ulteriore lapsu præserventur. Præsertim autem magnâ opus est prudentiâ circa eos, qui videntur esse constituti in occasione proxima peccandi, nec non & circa recidivos. Hinc sit

Et circa pœnitentes, quomodo?

QUÆSTIO III.

De Interrogationibus à Confessario faciendis.

31. **Q**uæritur I. An Confessarius teneatur quandoque interrogare pœnitentem? Resp. Et si per se, ac primario munus pœnitentis sit sese debitè examinare, atque integre accusare, Judicis autem audire: nihilominus in supplementum ignorantie, seu defectus ipsius pœnitentis, etiam Judicis sive Confessarij est interrogare, eumque examinare in hoc Foro Sacramentali. Ita Herincx disp. 5. de Pœnit. n. 55. cum communi. Idque patet tum ex c. Omnis utriusque sexus. de Pœnit. & remiss. ibi: Sacerdos autem sit discretus & cautus &c. diligenter inquirens & peccatoris circumstantias, & peccati. Tum ex Rituali Romano, ibi: Si pœnitens numerum, & species, & circumstantias peccatorum explicatu necessarias non expresserit, eum Sacerdos prudenter interroget. Accedit ratio: quia Confessarius tenetur, quantum moraliter potest, procurare integram peccatorum Confessionem, atque evitacionem peccati Sacrilegij; & curare, ne indisposito administret hoc Sacramentum.

Confessarius, an teneatur quandoque interrogare pœnitentem?

32. Additur, in supplementum ignorantie, seu defectus pœnitentis. Nam Confessarius non obligatur ulterius interrogare pœnitentem, quem ex modo procedendi advertit virum doctum, & bene conscientiam examinabile, suâque peccata quoad numerum ac speciem ritè proposuisse, si nesciat eum aliquid per oblivionem omisisse. Herincx loc. cit. Lugo disp. 22. de Pœnit. n. 17. & alij. Imò etiam, quando facienda est interrogatio, profus abstinendum est à curiosis, & non substantialibus; hoc est, iis, quæ non concernunt numerum, speciem, ac circumstantias spe-

Cautela circa interrogaciones.

Ooooo 2 ciem

ciem mutantem peccatorum: quamvis, ut hæc facilius intelligantur, expediat, circa poenitentem cæteroquin ignotum præmittere interrogationem de tempore ultimæ Confessionis, & (si occurrat peccatum carnis) an sit solutus, vel ligatus Matrimonio &c.

Quid observandum circa rudiores?

33. Quantum ad rudiores attinet, plerumque non expedie ipsos, etiam si minus parati accedere videantur, dimittere sine absolutione, ut se magis examinent: quia aut deterriti vix amplius ad talem Confessarium venient, aut ratione suæ incapacitatis non raro redibunt æquè indispositi. Quare tales communiter permittendi sunt, peccata suo modo quo possunt, etiam rudiori, proponere; & tunc suaviter examinentur, atque juventur à Confessario, uti iam superius (g) dictum fuit.

(g) Dist. 7. n. 63.

Quid observandum in faciendis interrogationibus?

34. Quæritur II. Quomodo se gerere debeat Confessarius in faciendis interrogationibus? Resp. I. Confessarius non tenetur examinare poenitentem exquisitâ industriâ, & exactissimo examine, sed suavi & humano modo. Ita Lugo disp. 16. de Pœnit. sect. 14. num. 589. & seqq. Gobat tract. 7. Theolog. Experim. num. 331. & seqq. & alij passim. Ratio est: quia ipsemet poenitens, qui tamen primariò ad hoc obligatur, non tenetur, nisi moralem diligentiam in examine conscientie faciendò præmittere; ergo multò minus tenetur Confessarius ad exquisitissimas interrogationes, utpote qui tenetur facere interrogationes duntaxat in supplementum. Deinde in hoc vel maximè attendendum est ad conditionem humanam, & ne ex hoc capite Confessio, seu Sacramentum Pœnitentiæ reddatur nimis grave ac odiosum, neque detur anfa Hæreticis vocandi illud *Conscientia carnificinam*. Et ad hoc maximè requiritur prudentia Confessarii, ne vel nimium poenitentem torqueat alijs, & alijs minutissimis interrogationibus, vel aliunde quid plus, aut minus fiat.

Hic potest errari per defectum & excessum.

35. Additur notanter, *ne quid plus, vel minus fiat*. Dupliçiter siquidem circa hoc errari potest, scilicet per excessum, vel defectum. Per defectum errant quidam & ignari Confessarii, nihil interrogando, vel solum crassissima quædam, aut universalialia. Per excessum econtrà errant nonnulli nimium interrogando, ac strictissimè examinando, imò interdum ex quadam curiositate impertinentia investigando: ut scrupulosi, & curiosi. Atque in hoc etiam majus periculum habent Confessarii doctiores, quia his occurrunt plures semper & plures inter-

rogationes, quibus melius species & numerus peccatorum cognoscere, & explicare. Verum hic notanda doctrina Lugonis loc. cit. num. 50. Non est bona regula illa, si dicas: talis vel talis interrogatio facit aperire distincte numerum & speciem peccati; ergo illa etiam interrogatio addenda erit &c. Quia non est attendendum solum ad exactam & integram Confessionem peccatorum, sed & maxime attendendum est ad conditionem humanam, & ne ex eo capite Sacramentum ipsum reddatur grave &c. ut proxime dictum.

36. Resp. II. Circa examen poenitentis, faciendisque modo humano interrogationes, nequit dari una eademque regula pro omnibus: cum pendeat plurimum ex capacitate, & dispositione speciali poenitentis, aliisque circumstantiis. Siquidem pauciores & crassiores interrogationes debent fieri homini inculto & barbaro, quales sunt Indi occidentales, quam Europæo: leuius item examinandus est rusticus, quam homo civilis: leuius, qui ægrotat, & difficile potest ad subtilia attendere propter capitis debilitatem, quam homo sanus: denique (quod notandum etiam est) leuius, & minus exacte interrogandus est circa singula, qui plura habet peccata, quam qui pauciora. Ita Lugo cit. disp. 10. num. 494. & ratio patet ex dictis.

Regulae generales circa examen & interrogationes faciendas.

37. Insuper circa hoc advertit communis Theologorum, in materia præsertim Luxuriæ cautissime esse procedendum, & non multiplicandas interrogationes: cum ne fortè ex eiusmodi interrogationibus poenitens malè discat, quæ benè ignorabat: tum ut pudori consulatur, atque occurratur periculo tam ex parte poenitentis, quam Confessarij, ne se illecebra insinuet. Unde, ut rectè notat Coninch disp. 7. de Sacramentis, dub. 7. num. 56. cum alijs, præstat aliquando Sacerdotem minus perfecte peccatum intelligere, quam vel poenitenti, vel sibi aliquod scandalum creare, aut esse nimium.

Præsertim in materia Luxuriæ.

38. In praxi igitur utatur Confessarius terminis honestis, præcipuè erga foeminas, & minoris ætatis personas, ordiendo semper suas interrogationes à cogitationibus cum consensu. Quod si poenitens verè castus respondeat, se illis non consensisse, non est opus, ut Confessarius suo examine ulterius ad Luxuriæ actus progrediatur: nam quando poenitens est immunis à consensu in cogitationes obscænas, multò magis erit liber ab ipsis actibus pravis; nisi forsan præ ruditate ingenij, malitiam cogitationum obscænarum non apprehendat. Si verò poenitens sese pravis cogitationibus consensisse confiteatur, quærat Con-

Praxis circa huiusmodi interrogationes.

Confessarius ex ipso, num eas actu complere voluerit: si respondeat quòd sic, petat deinde, num talia obscœna desideria habuerit erga personas solutas, vel ligatas; atque, an actu ipso cum eisdem compleverit, nec ne. Sicque procedat quasi per gradus de cogitationibus ad desideria, de istis ad oscula, de osculis ad tactus impudicos, & ab his ad ipsosmet actus, inter limites honestatis & modestiæ.

Interrogationes, an sint instantiendæ post Confessionem?

39. Quæritur III. Utrum circa illos, qui ipsi sua peccata exponunt, necessariæ interrogationes speciei, numeri, & circumstantiarum speciem mutantium, sint immediatè subjungendæ expositioni cujuslibet peccati, vel differendæ usque ad finitam totam Confessionem? Resp. Circa hoc variare Doctores, idque in praxi relinquendum esse prudentiæ Confessarij. Interdum enim, præcipuè in Confessionibus brevioribus, & quæ memoriter sine scriptura peraguntur, expediet differre interrogationes usque ad finem, ut censet Layman: idque, ne poenitentes per hujusmodi crebras interpositas interrogationes faciliè in sua Confessione confundantur, perturbentur, vel omninò à subsequenti Confessione absterreantur, aut tœdio afficiantur. Et hoc locum habere potest, si Confessarius confidat suæ memoriæ, se omnia quæ sita faciliè utque ad finem retenturum: in quem finem is uno, vel altero digito contracto, signum faciendæ postmodum interrogationis sibi facere poterit.


Vel potius sub Confessione?

40. Nihilominus communiter, & ordinariè, potissimum in Confessionibus è scripto factis, vel longioribus, ubi Confessarius meritò sibi metuere debet, ne forsan plurium obliviscatur, & deinde vel cum scrupulo ommissis interrogationibus absolvat, vel certè poenitentem magnà cum molestiâ suâ cogat repetere longam Confessionem; satius esse censet Lugo *disp. 22. sect. 2. num. 15.* & alij, si Confessarius suaviter eum successivè adjuvare studeat, & ejusmodi necessarias interrogationes quoad numerum, speciem, nec non & circumstantias speciem mutantem, immediatè singulis peccatis substituat. Et hoc eò magis: quia frequenter ipsemet poenitens post longum intervallum non statim singulatim de peccatis illis, quæ antea sive memoriter, sive è scriptis confessus fuerat, sese reflectere potest; vel saltem de novo confunditur, eadem cum rubore repetendo, ut distinctius exponantur.

41. Quæritur IV. Quid agendum, si pœnitens taceat, vel etiam neget peccatum, quòd Confessarius aliunde novit eum commississe? Resp. I. Si pœnitens duntaxat taceat peccatum, illud non confitendo, debet Confessarius inquirere veritatem, etiam, si id absque alio incommodo fieri possit, insinuando suam de hoc noticiam. Herincx *disp. 5. de Pœnit. q. 4. n. 56.* Quòd si verò id resciat ex Confessione alterius, v. g. complicitis, oportet interrogare adeò cautè, ut pœnitens de alterius Confessione nihil possit conijcere (alioquin enim frangeretur Sigillum) utputà quærendo in communi, an nihil ampliùs habeat, quod conscientiam gravet; vel adhibendo consuetas cæteroquin interrogaciones, & abstrahendo à notitia prioris Confessionis.

42. Resp. II. Quando pœnitens negat, se ejusmodi peccatum commississe, regulariter is erit absolvendus. Ita Herincx *loc. cit.* Tannerus *tom. 4. disp. 6. quæst. 7. num. 99.* Gobat. *tract. 7. Theol. Exper. n. 245.* Diana *part. 5. tract. 11. resol. 21.* Toletus, & alij. Ratio est: quia in Foro Sacramentali pœnitens stat pro se, & contra se; ac proinde ei credendum est tam contra se, quàm pro se. Accedit, quòd si Confessarius solùm noverit peccatum ex Confessione alterius, non sit major ratio, cur alteri potiùs fides adhibeatur, quàm isti. Quinimò si tunc posteriori confitenti negaretur absolutio, hoc ipso frangeretur indirectè Sigillum Confessionis prioris, utendo ejus notitià in præjudicium, ruborem, & confusionem complicitis. Accidere insuper potest, quòd alter pœnitens hoc peccatum jam fuerit confessus, aut saltem habeat justam causam illud impræsentiarum tacendi, v. g. ob damnum suum, vel alterius.

43. Additur, regulariter. Nam si Confessarius evidenter sciat, pœnitentem commississe tale peccatum, illudque nunc maliciosè negare, non potest eum absolvere; prout notant citati Auctores, ac Lugo *disp. 22. de Pœnit. num. 21. & 22.* & alij. Siquidem nefas est, ministrare Sacramentum ei, quem evidenter scio esse indignum, illudque non nisi sacrilegè petere.



QUÆ.

Q U Æ S T I O I V.

Quid agendum Confessario circa constitutos in Occasione proxima peccandi, Recidi vos, & laborantes quadam ignorantia?

Quid agendum circa constitutos in occasione proxima peccandi?

44. **Q**uæritur I. Quomodo debeat se gerere Confessarius circa constitutos in Occasione proxima peccandi? Resp. I. Oportet Confessarium cavere, ne aliquem in proxima occasione peccandi mortaliter constitutum absolvat, nisi se illam, quamprimum poterit, relicturum proponit. Ita communis Ratio est: quia talis, si noh, cum possit, relinquere occasionem proximam, non censetur esse contritus, nec habere firmum propositum sese emendandi; cum affectus ad proximam occasionem peccandi, sit virtualiter ipsa volitio peccati: nam, ut habetur Ecclesiastici cap. 3. *Qui amat periculum, in illo peribit.*

Occasio peccandi proxima, & remota, & quæ?

45. Dicitur notanter, *in occasione proxima peccandi mortaliter.* Siquidem ejusmodi Occasio alia est remota, alia proxima. *Proximam occasionem peccandi* appellant, quæ talis est ex suo genere, ut frequenter homines similis conditionis ad peccatum mortale inducat, vel saltem experientiam constet, eam in hoc homine talem effectum habere. Lugo *disp. 13. de Poenitent. num. 149.* Alij per Occasionem proximam peccandi intelligunt eas solum circumstantias loci, temporis, personarum &c. in quibus si sis constitutus, certum est moraliter, te esse peccaturum novo peccato mortali, sive, quibus nunquam, vel ferè nunquam uteris sine novo peccato: ut si decies in tali occasione constitutus, succubisti septies, vel octies; secus, si solum bis, vel ter acquievisse peccato. Gobat *tract. 7. Theol. Experim. num. 525.* citans alios (h) *Occasio remota* dicitur ea, quæ talis non est: & hanc fugere non tenemur, aliàs enim omnes deberemus secedere in eremum, aut de Mundo exire, ad fugiendas innumeras occasiones remotas peccandi, quod nemo dixerit.

(h) Concorda ut dicta Traët. 3. Dist. 2. n.

24. Quid, si occasio proxima relinquitur, acqueat?

46. Resp. II. Quia verò sunt aliquæ Occasiones proximæ, quæ difficilimè relinquuntur, & non nisi cum scandalo, vel infamia, aut alio notabili detrimento: v. g. si frater suam propriam sororem in domo paternam abutatur sine medio separationis faciendæ &c. tunc magnam opus est Prudentiam Confessarij. Siquidem

Qu. IV. Quid agendum Confessario circa constitutos in Occas. 1031
 dem ejusmodi occasiones, quæ vel declinari non possunt, vel
 dum declinantur, gravia generant incommoda, non illicò te-
 netur (sicut nec moraliter potest) pœnitens derelinquere; cùm
 talis potius permaneat in ejusmodi occasione ex quadam necessi-
 tate atque impotentia, quàm ex affectu ad peccatum. Itaque
 Confessarius adigat pœnitentem, ut promittat, se proximam
 commoditate oblatam illam occasionem deserendum: deinde
 protegetur, se Divinam cooperante gratiam omnes vires adhibitu-
 rum, ne relabatur, atque in hunc finem Sacramenta frequenta-
 turum, Beatissimæ Virgini Mariæ se fore devotum, &c. Et si
 quidem sit peccatum Luxuriæ, pœnitens promittat Confessa-
 rio, se specialiter evitaturum colloquia, familiaritates, loca
 privata, munuscula, aliasque peccati illecebras. Quòd si igitur
 in præstatione, & executione horum appareat aliqua vel parva
 emendatio, talis pœnitens absolvatur: si verò teste experien-
 tiâ, per longum tempus probatâ, oppositum appareat, is rejicia-
 tur, veluti non contritus ratione evidentis periculi, in quo ver-
 sacur; simulque efficaciter eidem intimetur illud Christi Do-
 mini, Matth. 18. *Si manus tua, vel pes tuus scandalizat te, abscin-
 de eum, & projice abs te: bonum tibi est debilem vel claudum in vitam
 ingredi, quam duas manus, aut duos pedes habentem mitti in gehennam
 ignis.*

47. Huc addendæ, & vitandæ sunt nonnullæ Propositio-
 nes, à Sede Apostolica meritò condemnatæ: & quidem Ale-
 xander VII. hanc inter alias, ordine 4^{ta}. damnavit: *Non est ob-
 ligandus concubinaris ad ejiciendam concubinam, si hæc nimis utilis es-
 set ad oblectamentum concubinaris, vulgò regalo, dum deficiente illo, nimis
 agere vitam ageret, & alia epule tædio magno concubinarium afficerent,
 & alia famula nimis difficile inveniretur.* Hæc est damnata Propo-
 sitio. Accedunt aliæ ab Innocentio XI. novissimè condemna-
 tæ, quarum prior, ordine 61. sic sonat: *Potest aliquando absol-
 vi, qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest, & non
 vult omittere, quinimò directe & ex proposito querit, aut ei se ingerit.* Al-
 tera, ordine 62. sic habet: *Proxima occasio peccandi non est fugienda,
 quando causa aliqua utilis, aut honesta non fugiendi occurrit.* Et ter-
 tia ordine 63. *Licetum est querere directe occasionem proximam peccan-
 di pro bono spirituali, vel temporali, nostro: vel proximi.* Omnes hæc
 Propositiones sunt damnatæ, & meritò. Siquidem ad hoc, ut
 quis non teneatur deserere occasionem proximam peccandi
 mortaliter, nulla causa est sufficiens, nisi sola impotentia Phy-
 sica,

Propositio-
 nes circa
 occasionem
 proximam
 peccandi
 damnatæ.

Ratio dam-
 nationis
 earum.

PPPPPP

fica,

fica, vel moralis, deserendi illam occasionem proximam: nam quoties potest quis eam derelinquere, tenetur; quia quilibet, si potest, tenetur vitare proximum periculum summi mali, quale est peccatum mortale, utpote gravissima offensa infiniti Boni. Accedunt allegata verba Aeternæ Veritatis, *Matth. 18.*

Quid agendum circa recidivos?

48. Quæritur II. Quid agendum circa Relapsos, seu Recidivos & Consuetudinarios, qui semper in eadem recidunt peccata? Resp. I. Necesse est, quod Confessarius magnam circa istos adhibeat discretionem. Siquidem ejusmodi relapsus non est generaliter certum signum falsæ poenitentiae, sed potius fragilitatis humanæ: plurimi enim, etiam probitate conspicui, relapsi sunt, & contra bona proposita firmiter concepta, quandoque juramento, aut voto firmata, denuò peccarunt. Unde & *Matth. 18.* Petro interroganti, *Quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei? usque septies? Dixit JESUS: Non dico tibi, usque septies, sed usque septuagies septies: hoc est, toties, quoties serio doluerit, veniamque rogârit.*

Quid, si recidivus minuat numerum peccatorum?

49. Resp. II. Si hujusmodi Recidivus post ultimam suam Confessionem se vel paululum emendavit, nec tot peccata, ut ordinariè solitus fuerat, commisit, & aliquem conatum ad se emendandum adhibuit, debet is absolvi, ac moneri, ut in proposito perseveret.

Et quid si eum augetur &c.

50. Quòd si verò augeat numerum peccatorum, aut saltem ita longo tempore sua peccata continuat, aliquoties quidem se vincendo, denuò iterum relabendo, ac numerum augendo, tunc sollicitè duo extrema erunt Confessario vitanda. I. Ne per nimiam severitatem poenitenti potius sit occasio ruinæ spiritualis, ac desperationis, quàm salutis. II. Ne econtrà per nimiam clementiam potius foveat peccata, quàm minuat. Unde magnâ opus erit prudentiâ, ac discretionem, qua Confessarius ambo ista extrema devitando, hinc per graviora exhortationum motiva deterreat poenitentem à relapsu, ac peccatis; illinc verò dulciora Divinæ gratiæ, Passionis Dominicæ, & invocationis Sanctorum lenimenta proponendo, erigat in fiduciam & spem Christianam, atque iteratam peccatorum detestationem, & firmiter emendationis propositum; sicque cum Evangelico Samaritano noverit opportunè vulneribus sauciati oleum, ac vinum infundere. Neque mox de talibus spes omnino erit abjicienda; nam, ut inquit Thomas Kempenis lib. 1. de

1. de Imitat. Christi, cap. 16. Quod si fortiter proponens, sæpè desicit: quid ille, qui raro, aut minùs fixè aliquid proponit?

§ 1. Si verò omnia huiusmodi remedia sint frustra hætenus longo jam tempore adhibita, & nullum appareat verum signum doloris, aut propositum emendandæ vitæ, eò quòd pœnitens nullum ferium conatum adhibeat, quo tentationibus ac occasionibus peccandi resistat. sed fræna suis cupiditatibus relaxet: tali post crebras admonitiones, & minas affectuosas adhibitas, tandem ita distantia prudentiâ erit absolutio ad tempus deneganda, ne Confessarius pœnitentem in suis peccatis videatur fovere. Quinimò apposita nonnullorum sententia ab Innocentio XI. damnata est, dum is sequentem inter alias Propositionem, ordine 60. condemnavit: Pœnitenti habenti consuetudinem peccandi contra Legem DEI, Naturæ, aut Ecclesiæ, etsi emendationis spes nulla appareat, nec est neganda, nec differenda absolutio; dummodò ore proferat, se dolere, & proponere emendationem. Hæc, inquam, Propositione, utpote damnata, imposterùm cavenda erit; quamvis omnem lapidem priùs oporteat movere, quàm pœnitenti relapsò absolutioem negare, præsertim si hîc & nunc clariora det signa doloris, ac propositi emendationis.

Quando pœnitenti recidivo sit neganda ad tempus absolutio?

§ 2. Quæritur III. Quid agendum, si Confessarius advertat, pœnitentem habere ignorantiam circa aliquod peccatum? Resp. I. Quando Confessarius advertit, pœnitentem esse in bona fide cum ignorantia invincibili circa aliquod peccatum commissum, vel committendum, prævidetque, pœnitentem, quamvis instruat, non idcirco à peccato recessurum esse, ac proinde probabiliter credit, suam admonitionem non profuturam, non tenetur pœnitentem admonere. Siquidem eiusmodi monitio foret actus vanus, atque inutilis, imò & nocivus: quia dum Confessarius pœnitentem ab errore bonâ fide habito retrahere conaretur, & quidem absque spe fructûs, juxta casum positum, ipsum in æternæ damnationis abyssum demergeret.

Quid agendum, si pœnitens habeat ignorantiam circa peccatum?

§ 3. Resp. II. Quoties ignorantia est vincibilis, & culpabilis læthaliter, non potest Confessarius dissimulare, quamvis admonitio non sit profutura. Ita communis. Ratio est: quia, cum ea ignorantia non excuset, pœnitens affectus est peccato mortali; quare si Confessarius dissimularet, conferret Sacramentum indigno. Cæterùm, quia ignorantia, quæ in uno est vincibilis, in alio potest esse invincibilis; hinc rursum opus est

Præsertim vincibilem?

Pppppp 2

magnâ

magnâ prudentiâ Confessarij, eumque oportet hoc perpendere ex qualitate personæ, & alijs circumstantijs.

Aut est spes profectus?

54. Resp. III. Quando etiam ignorantia est invincibilis, adest tamen spes profectus, debet Confessarius pœnitentem admonere. Ita Sanchez *lib. 2. de Matrim. disp. 38.* cum alijs. Ratio est: quia quilibet approbatus Confessarius tenetur lege Charitatis docere Proximum errantem.

Vel pœnitens petat resolutionem dubij?

55. Resp. IV. Quòd si pœnitens aliquid patiat dubium, illiusque resolutionem petat, tenetur Confessarius illi veritatem aperire, licet non ignoret, pœnitentem suis dictis & monitis non obtemperaturum. Ita Sanchez *loc. cit. num. 14.* cum alijs. Ratio est: quia pœnitens, eo ipso, quòd dubitet, jam habet in conscientia remorsum peccati sui, ita ut amplius in bona fide non sit; unde taciturnitas Confessarij foret illius erroris approbatio.

Generalia circa scientiam & prudentiam Confessarij.

56. Cæterum, quomodo circa præmissa, & alia plurima, oporteat vigilare scientiam & prudentiam Confessarij, paucis hinc pagellis pro dignitate nequit comprehendere, eò quòd negotium hoc sit valde arduum. Tota Theologia Moralis ad istud Sacerdotis officium ritè ordinandum incumbit, innumeri Libri & Tractatus Theologici hæcenus editi, & imposterum edendi, in hoc ipsum allaborant: ut autem actu ipso omnia legitime perficiantur, post sedula Litterarum studia, nec non & debitam Librorum Theologicorum lectionem, gratia Spiritus Sancti humilibus precibus erit imploranda.

DISTINCTIO IX.

De Casibus Reservatis, & Sigillo Confessionis.

QUÆSTIO I.

Quid sit Reservatio Casuum, & à quo fieri possit?

Casus reservatus, quid? I.

CONCL. I. *Reservatio Casuum* aliud non est, quam negatio jurisdictionis absolvendi circa aliquod peccatum. Ita in re communis. Hinc *Casus reservatus* bene definitur, quòd sit peccatum mortale externum, ad cuius ab-

solu-